

sessionibus et aliis rebus prefati monasterii in Pigavia et presertim cum supranominatis villis et cum earundem pertinentiis dependentiis et connexis sub nostri et imperii sacri specialis defensionis salvewardie et protectionis clipeum et umbram gratiosius suscepimus [et suscipimus] per presentes, prescriptam etiam litteram cum omnibus suis tenoribus clausulis punctis et sententiis, prout iacet ad litteram, et signanter villas curias locales atque bona supradicta, videlicet ipsum locum Pigaviensem villasque Libenham et Monem cum universis et singulis earundem villarum iurisdictionibus iuribus iudiciis hominibus servis agris pratis ortis pascuis nemoribus aquis aquarumve decursibus¹ piscationibus venationibus decimis aliisque rebus et bonis ac pertinentiis, sicut hec omnia et singula rite obtinuerunt et possiderunt ac presentialiter tenent et possident necnon omnia et singula iura et gratias libertates concessionem donationes immunitates indulta litteras et privilegia, que et quas a divis Romanorum imperatoribus et regibus nostris predecessoribus seu ab aliis principibus ac Christi fidelibus hactenus rite obtinuerunt, animo deliberato non per errorem aut improvide, sed sano principum comitum baronum et procerum nostrorum accedente concilio et ex certa nostra scientia approbamus ratificamus innovamus de novo concedimus ac de Romane regie benignitatis nostre clementia, prout digne possumus, de verbo ad verbum, acsi tenores omnium presentibus forent inserti, aut si de ipsis de iure vel consuetudine deberet fieri mentio specialis, quos etiam hic habere volumus pro sufficienter expressis, per presentes gratiosius confirmamus pro ipso abbate conventu ac ipsorum successoribus et monasterio in perpetuum valituras. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostre etc.

Wegen des oben angegebenen terminus ad quem 1416 verweise ich auf die Einleitung.

9. Sigmund nimmt das Kloster Lützel im Elsass in seinen und des Reiches Schutz, bestätigt alle Rechte, Freiheiten und Privilegien desselben, besonders aber das eingerückte Karls IV. und befreit sie von der Pflicht, die Jäger irgendwelcher Herren zu beherbergen (f. 452*). 1414 November 8 — 1416 — Constanx (?).

In nomine sancte et individue trinitatis, feliciter amen. Sigismundus dei gratia Romanorum rex semper augustus ac Hungarie Dalmatie Croatie etc. rex marchio Brandenburgensis necnon Bohemie et Lucemburgensis heres. Notum facimus tenore presentium quibus expedit universis [quod inter varias rei publice curas quibus cor nostrum]² cottidiana sollicitudine

1) cod.: 'discursibus'. 2) Ergänzt nach dem vorausgehenden Stück.